

4. Fidelium tributa, ratione subscriptionis Parocho debita.
 (Pastoral Dues.)

Ubi vero hi redditus omnes honestæ Sacerdotis sustentationi non sufficerent, Episcopi erit, ex Ecclesiæ redditibus, summam assignare sufficientem, qua parochus decenter sustentetur.

DECRETUM XIX.

De Egenis Missionibus Adjuvandis.

Finis Redemptionis est regnum Dei, inter homines et in hominibus, per victoriam Divinæ Veritatis et Voluntatis quæ homines Deo uniuntur et salvantur. Quapropter Patres Concilii debite reminiscuntur operis missionum; sive pro paganis, sive, quod hic potius obtinet, pro illis catholicis qui sæpe sæpius maximo animarum periculo, sparsim et parvo dumtaxat numero, inter sectas vitam longe ab Ecclesia degunt, et ad Sacerdotem honeste sustentandem omnino impares habendi sunt.

Patres hujus Concilii idecirco hoc decreto volunt ut pro his catholicis provideatur, sive missionibus, certis temporibus, sive Sacerdotis sustentatione ex collectis in missionibus locupletioribus, vel aliis modis subveniantur, qui in proximis Synodis Dioecesanis vel aliis conventibus cleri determinentur ut ad effectum deducantur.

DECRETUM XX.

De Ecclesiæ Oneribus.

Statuto jam quinam Ecclesiæ redditus reputandi sunt, Ecclesiæ onera pariter descriptum iri, haud iniquum arbitramur. Quapropter, hoc decreto, Patres Concilii statuunt, pretium vini, et panis, quibus pro Missæ Sacrificio celebrando opus